



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

N. Arch. Hispalensis n. 7

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

tatis, tanquam in primos Coadiutores suos in opere Domini, primaque instrumenta diuinæ gloriæ in partibus illis egentissimis. Proinde precari ne sibi Pater in hac re velit deesse. Ecclesiam Bracharensis, sicut primatum obtinet in Lusitania, ita latitudine regionis, & innumera multitudine Ecclesiarum Parochialium primam esse : atque adeo quamplurimos populos in summa egestate doctrinæ, & exempli, & ipsum Cleri Ordinem nimium iacere. Aliquot igitur, nimirum decem, aut duodecim, & ad pueros edocendos, & ad conscientiarum nodos explicandos, & ad concionandum attribuat, donec Collegium numeris omnibus pro opibus suis absoluat. Ita in eadem Par. 2. cit. lib. 4. num. 150. Et num. 151. additur:

Desiderantur ad puerorum educationem, & ad alia munia.

His ad Lainium perscriptis Sacerdotes duo, vnum non Sacerdotem à Patribus Lusitanis impetrat, & Bracharam præmittit: Antistes enim Olyssipone tunc erat, vbi demum consecratus est, administrationemque sui muneris ad lustrandam Diœceseos partem, quæ propter locorum asperitatem maximè laborabat, inchoaturus comitem secum Ignatium Azebedium, (postea Martyrem inclytum) cum altero Patre duxit: in eaque peregrinatione, ita Ignatius, itemque socius priuata virtutis studium, publicæque salutis industriam intelligentissimo probarunt Antistiti, vt vbi Bracharam venit, rem Collegij maturarit, cum ibi nulla vsque tunc admissa esset Religio, ne dum Dominicana.

7. AB HISPALENSI Archiepiscopo, qui præ ceteris laudibus Societatis Mirari se, dixit, quod inter tot ex ea Concionatores tam lubricis temporibus, nemo vnus eorum deprehensus esset, minus orthodoxum quid docere. Sic Ibid. lib. 5. num. 8.

Eorum constantia in orthodoxa fide docenda.

8. A DANIELE BRENDHELIO Archiepiscopo Moguntino: Qui cum affigeretur publice libellus, quo ciues admonebantur, vt cauerent IESVITAS, qui per nomen instituende iuuentutis ad eam deprauandam venirent, & cum multi e Dynastis, & Canonico- rum Concilio nostrum in Urbem reluctarentur ingressum, auresque Archiepiscopi assiduè obtunderent, omnibus hoc ille responsi dabat:

M Vos